

Phébus, fou amoureux, poursuit Daphné

Sic deus et uirgo est, hic spe celer, illa timore.
Qui tamen insequitur, pennis adiutus Amoris,
Ocius est requiemque negat tergoque fugacis
Imminet et crinem sparsum ceruicibus afflat.
Viribus absumptis expalluit illa citaeque
Victa labore fugae, spectans Peneidas undas :
« Fer, pater » inquit « opem, si flumina numen habetis ;
Qua nimium placui, mutando perde figuram. »
Vix prece finita, torpor grauis occupat artus,
Mollia cinguntur tenui praecordia libro,
In frondem crines, in ramos bracchia crescunt ;
Pes modo tam uelox pigris radicibus haeret,
Ora cacumen habent ; remanet nitor unus in illa.
Hanc quoque Phoebus amat positaque in stipite dextra
Sentit adhuc trepidare nouo sub cortice pectus
Complexusque suis ramos, ut membra, lacertis
Oscula dat ligno ; refugit tamen oscula lignum.
Cui deus : « At quoniam coniunx mea non potes esse,
Arbor eris certe » dixit « mea ; semper habebunt
Te coma, te citharae, te nostrae, laure, pharetrae ;
Tu ducibus Latiis aderis, cum laeta triumphum
Vox canet et uisent longas Capitolia pompas.
Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis mediamque tuebere quercum ;
Vtque meum intonsis caput est iuuenale capillis,
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores. »
Finierat Paeon ; factis modo laurea ramis
Annuit utque caput uisa est agitasse cacumen.

Onide